

DE RELIGIONE NATURALI ET SUPERNATURALI.

Prof. S. Zimmermann

(Finis)

quemlibet actum malum, homo fit moraliter bonus et simul religiosus (sensu latiore), quatenus bonitatem propterea vult, quia actus malus est peccatum seu offensa Dei. Quantum evitat omnia quae speciali virtuti cultus divini opponuntur, religiosus est (sensu strictiore) negative; positive vero tunc, cum paratus est facere id, quo Deo speciali modo veneratio exhibetur, quodque partialem hominis bonitatem moralem efficit. Specifica ergo religiositas est pars integralis moralitatis, totalis autem bonitas moralis includit religiositatem sensu largiore. Moralitas objective fundatur in religione, quatenus obligationes et bonitas proveniunt ex illis veritatibus, quas habemus de nostra relatione ad Deum. Hae veritates sunt vel naturales vel supernaturales, utrumque respectu fontium cognitionis harum veritatum, sicut et respectu relationis finalis nostrae vitae: naturales sunt, cum ratione cognoscimus finem naturalem vitae in Deo, supernaturales vero, cum ex revelatione credimus in finem nostrum supernaturalem. Ex prioribus veritatibus (ex fide naturali) potest in homine oriri et per quosdam actus bonos evolvi amor naturalis erga Deum, pro fide autem revelata et amore erga Deum quantum iste supernaturalis finis est, requiritur gratia supernaturalis. Eo quod homo in statu ordinis supernaturalis ponitur, jam obligatur ad amorem supernaturalem, ex alia autem parte (propter naturam corruptam) subicitur ignorantiae et concupiscentiae, quibus etiam a naturali lege morali avertitur; propterea Deus nemini gratias supernaturales denegat, ne tunc quidem, cum de agnitione legis naturalis seu existentia religionis naturalis agitur. Ex parte hae gratiae effectum medicinale (sanationis) naturae nostrae habent, ex parte autem rationem adjutorii et praeparationis ad gratiam habitualem, quae hominem habilem reddit ad amorem supernaturalem, praeseferunt. Ita Deus su-

pernaturali providentia naturam humanam ad ejus finem supernaturalem vitae conducit.*

II.

In »Stimmen der Zeit« (Julii 1939.) disserit Dr. W. Keilbach de religione (»Das gottgewollte und gottgeborgene Lebensganze«). Priusquam de ejus deductionibus locuturi sumus, quaedam puncta stabilienda sunt.

Conceptus religionis ambos terminos relationis: hominem (»ab infra«) et Deum (»desuper«) complectitur. Subjectum religionis est homo, quatenus in relationem cum Deo, qua objecto agnitionis rationalis et volitivae seipsum adducit. Haec agnitio (diversis actibus consciis) religionem qua personalem relationem ad Deum constituit. Religio, sive sensu strictiore (qua virtus colendi Deum), sive latiore (qua universalis agnitio moralis finis in Deo) sumatur, significat manifestationem voluntariam agnitionis Dei: speciatim qua supremi Domini, et generatim (sensu latiore) qua supremi boni vitae humanae. Utroque sensu Deus manifestari debet homini, i. e. intellectui manifestari debet sub aspectu eminentiae et supremi boni, et tali via rationali voluntatem sollicitare ad correspondendum: bonitate morali generatim et cultu divino speciatim. Haec »corresponsio« significat religionem. Deus vocat hominem ad se, qua finem vitae, — et si hic finis ordinatus est supra ejus naturam rationalem (sicut ex revelatione scimus revera esse), tunc opus est, ut Deus hominem supernaturali modo juvet in adipiscendo hoc fine, i. e. ut principium rationale et volitivum religionis sua supernaturali gratia ad supernaturalem finem ordinatum dirigat. Qua finis supernaturalis Deus manifestatur via revelationis historicae, tamen cooperationem supernaturalem neque illi denegat, ad quem haec revelatio non pervenerat (nam finis supernaturalis omnibus hominibus aequae

* Ct. uberius apud S. Zimmermann »Circa religionis problemata« in »Collectanea franc. slavica, vol. I. Acta primi Congr. Zagrebiae 1935.« speciatim p. 170—172. Id. »Quomodo philosophia religionis scientificae construenda est?« in »Acta Pont. Acad. Rom. S. Thomae Aq. et Rel. Cath. nova sries, vol. III. a. 1936.« spc. p. 8—11. Id. »Religio qua objectum philosophiae et theologiae« (»Antonianum« 1939. Fasc. 4).

destinatus est). Id autem significat activitatem religiosam apud omnes homines non modo naturalibus elementis, sed etiam supernaturali componente (gratia) constitui. Si elementa rationalia et volitiva (naturalia) agnitionis religiosae religionem naturalem nominemus, tunc simul ipsa erit supernaturalis, quatenus eam gratia supernaturalis constituit. Supernaturalitas religionis non significat idem ac destinatio ad finem supernaturalem, ad hanc enim destinationem omnes vocati sunt, immo et illi, qui nullimode correspondent (areligiosi, antireligiosi). Neque religio est »naturalis« eo, quod homo in statu naturae purae esset, vel ad finem supernaturalem non esset ordinatus; homo naturaliter religiosus est, quatenus ratione agnoscit veritates de Deo et quatenus voluntarie sequitur legem moralem naturalem. Simul autem supernaturaliter est religiosus, quatenus non rejicit gratiam supernaturalem sed eam voluntarie acceptat intra confinia veritatum et legum naturalium. Praecise per haec »confinia« religio est naturalis et sub eo aspectu est supernaturalis, cum super veritates revelatas fundatur. Relate ad finem supernaturalem religio est supernaturalis quatenus significat realisationem hujus finis (non vero quatenus homo ad hunc finem a Deo destinatus est); supernaturalis est relate ad acceptationem veritatum revelatarum et obligationum; supernaturalis est et respectu gratiae. Ex alia parte ipsa est naturalis, quatenus non fundatur in revelatione supernaturali, sed in naturali manifestatione Dei. Si ergo nullum dubium sit, quod ex conceptu religionis non liceat eliminare »aspectum desuper«, i. e. licet unice rectum sit religionem esse tantummodo illam activitatem spiritualem (subjective) seu relationem ad Deum (objective), quae secundum ordinem supernaturalem a Deo stabilita et ordinata est, non tamen eoipso necessitas distinctionis inter partem componentem naturalem et supernaturalem religionis evanescit ideo, quia Deus in relationem finalem cum homine intrat non modo per gratiam (qua principio activo supernaturali), sed etiam via manifestationis naturalis (seu rationalis volitivae) existentiae suae (et naturae generatim), speciatim vero via obligationis moralis (etiamsi nondum ex revelatione dispositio voluntatis Dei de supernaturali possessione ejus nota sit).

Hisce nostris reflexionibus anticipavimus quidem ulteriorem contextum, de quo hic agitur, tamen ipsae nobis possibi-

lem reddent compendiosum procedendi modum in critico examine singularum affirmationum in textu jam dictae dissertationis contentarum. Ipsa incipit affirmatione religionem esse relationem *reciprocam* amoris. Propterea religio (ut in 2. propositione affirmatur), tantummodo sub duplici aspectu (»doppelte Schau«) intelligi potest: ab infra et desuper, i. e. in considerationem adduci debet Deus (»desuper«). Quapropter (ut in 3. propositione dicitur) religio non determinatur solo actu vitali subjectivo, sed actus vitalis debet dirigi secundum normam a Deo praeordinatam, ut religiosus sit. Hanc thesim confirmat genesis structurae religiosae: ut homo possit fieri promptus ad subjectionem Deo (»bereitwillige Unterwerfung«), sufficit, ut cogitatione causali perspiciat dependentiam a Deo personali. Haec Dei quaesitio (»Gottsuchen«), fundata in causali dependentia, haec subjectio (»Sichbeugen«) meliori perspectioni et haec adhaesio (»Festhalten«) ad factum cognitum est »sub metaphysico (!) aspectu primum incitamentum (Ansatz) religionis« (p. 204; hic linea subductum). Nonne ista prima rationalia et volitiva seu naturalia elementa in (psychica) structura religionis sunt?! — Et paulo ulterius (p. 205) dicitur »cognitionem naturalem Dei servire ad fundandam vel constituendam (Grundlegung bzw. Aufbau) fidem«. — Etiam si Deus se non revelaret, nos sciremus ejus bonitatem et justitiam, omnipotentiam et aequitatem et sapientiam; cognosceremus obligationem cultus, observantiam ordinis et amoris, — atque »activitas hocce sensu esset religio« (ib.).

Cognoscimusne praedictas Dei proprietates sicut et praedictas obligationes — nostra capacitate naturali, non obstante facto, quod Deus semet revelaverat?

Cum homo aliquid vult scire de Deo, tunc id »complexu veritatum« a Deo homini datarum dimetiri debet; in hoc fundatur »directio ad objectum et obligatio ad normam« religionis (Objektbezogenheit u. Normgebundenheit aller Religion, 206). In obediendi interrogatione hominis, sicut et in amorosa responsione Dei consistit reciprocatio inter hominem et Deum: religio.

»Interrogatne« homo per suam rationalem naturam et »respondetne« Deus ad tales interrogationes? Daturne

»complexus veritatum«, quae sunt rationaliter cognitae (non tantum revelatae)?

Si Deus humano generi semet revelaverat, tunc definitive (endgültig, ib.) communicatio hominis cum Deo determinata est. — Numquid hocce facto communicatio secundum complexum naturalem veritatum, quae itidem objectivae et normativae sunt, abrogata est?

Non obstante facto revelationis, non licet dicere »cogitationem philosophicam in quaestione religionis non esse competentem« (ib.). Ejus affirmationes (Aufstellungen) eatenus hypotheticae sunt, quatenus »per accessionem superioris valoris ex parte Dei in unitam et specificam sensu pradam totalitatem superformari possunt« (durch Hinzukommen eines Mehrwertes vonseiten Gottes zu einem einheitlich-artigen Sinn-ganzen überformt werden können).

Quare tantummodo cogitatio philosophica? Numquid »complexus veritatum« nullatenus accessibilis est cogitationi non philosophicae? Insuper, numquid haec non philosophice naturales veritates non sunt etiam objectivae et normativae et in tantum a Deo data responsio ad cogitativam interrogationem hominis? Vel ipsae tales esse desinunt accedente nova responsione? Si ex structura religionis caderent rationaliter naturales (non philosophicae dumtaxat) veritates, numquid dici posset eas intrare in »unitam et specificam totalitatem, in qua superformantur«? Vel haec phrasis significat veritates naturales desinere esse naturales (post Dei revelationem) easque characterem induere veritatum revelatarum, quas homo tantummodo fide agnoscit? In quaestione hujus »accessus« revera adest »universalis incisura (Schnittpunkt) inter naturalem et supernaturalem religionem«, — verumtamen non eo modo, ut conceptus philosophandi de religione confundatur cum conceptu religionis naturalis, vel ut relatio inter religionem naturalem et supernaturalem reducatur ad quaestionem, num ratio philosophica competens sit hypothetice quid de religione scire. Similiter omnino aliquid aliud est: critice seu philosophice statuere supernaturalitatem (revelationem) religionis, et fundamento rationis volitive agnoscere Deum (= esse naturaliter religiosus). Qualis est relatio inter hanc »naturalem« et supernaturalem religionem? Id est quod quaeritur; ut vero quaestio clara sit, determinari debet 1) conceptus religionis naturalis,

et 2) sensus relationis inter naturalem et supernaturalem religionem. Eo enim quod dicitur »religiosam communicationem (Mitteilung, 207) divinam esse normam supremam«, quae pro toto genere humano valet, nequaquam excluditur ut historica communicatio (revelatio) praesupponat communicationem naturalem rationi humanae illius complexus veritatum, super quas agnitio Dei fundatur. Ipsae accedentibus veritatibus revelatis materialiter (extensive) perficiuntur atque simul cum istis formaliter novum accipiunt characterem (vadimonium positivae revelationis), ast hisce non dicitur eas perdere suam objectivitatem, quam ex discursiva evidentia tenent, i. e. eas desinere esse fundamentum religionis naturalis.

Pro religione normativus est Deus: personalis venerationis et amoris dignissimum bonum. Qua tale, ipsum est »objectum« attractivum totius vitae humanae. Ex parte humana (subjective) sumpta, religio totaliter vitam hominis complectitur: spiritus tota sua structura ad summum bonum dirigitur. Qua ratione ita dirigetur? Patet, fundamento illius ordinis, quem Dei voluntas statuerat inter bona, quatenus naturae humanae convenientia (desiderabilia) sunt. Statuendo seipsum finem supremum humanae volitivae electionis, debuit Deus id cum homine communicare via rationis, quae volitivam electionem regulat: posuit in natura humana conscientiam moralem, qua indicem viae ad supremum bonum vitae. In facto ergo quod homo secundum naturam suam a Deo ad nullum aliud bonum (qua finalem scopum vitae) ordinatus sit, quam ad rationalem et volitivam tendentiam in Deum et ad possessionem Dei (qua supremi boni), fundatur naturalis ordo moralis, quo istud factum voluntati nostrae categorice cognoscendum statuitur. Hic homo personaliter cum Deo connectitur; hic scaturigo moraliter religiosae vitae est. Activitas volitiva hujus vitae certe innititur cognitioni vel veritatibus, per quas intellectus comprehendit (perspicit) id, quod Deus ab ipso velit, i. e. comprehendit suam destinationem finalem seu vocationem vitae. Omnes has veritates de Deo atque de sua relatione ad Eum non omnis homo aequè intelligit, neque ipsae extemplo accessibiles sunt evolutione individuali. Objective, hae veritates efficiunt unam eandemque totalitatem (quae comprehendit totam realitatem ordinis finalis, qui Dei voluntate homini ordinatus est). Respectu vero habito ad factum, quod Deus finem super-

naturalem ordinaverit, qui via intellectuali assequi non potest neque fundamento causalis et moralis cognitionis communicatus est, sed historice pro omnibus hominibus revelatus est, patet tali historica communicatione voluntatem divinam relate ad vitam ejusque relationem ad Deum suam expressionem accepisse. Pro religione hocce facto normativa evaserat revelatio positiva ita, ut ipsa efficiat totalitatem veritatum, ex quibus promanat religio sensu pleno. Sensu pleno. Id vero significat: relationem naturalem erga Deum translatam esse in supernaturalem, qua pars ejus integrans. Haec relatio naturalis non existit per se, neque (ex revelatione id scimus) umquam exsistebat, i. e. religio naturalis neque praeter neque extra supernaturalem existit. Sed si per se non existit, numquid nullimode existit? Numquid non tota religiosa activitas (jam inde a primo homine) supernaturalem characterem acceperat eo, quod numquam supernaturali principio carebat? Respectu habito ad istud principium, ipsa revera erat vel est supernaturalis. Verumtamen istud principium non determinat physice voluntatem humanam, quae secundum totalem individualem structuram hominis concipit proposita in eligendis bonis, seu quae potest influere in psychicam structuram fundamento experientiarum acquisitarum. Has vero suas cognitiones de relationibus inter bona vitae atque supremum bonum in Deo, potest homo acquirere et sola ratione — non obstante facto, quod existant veritates revelatae qua norma cognitionis boni vitalis. Ne cognoscendo quidem has veritates (quatenus revelatae sunt) potest homo scire quasdam veritates propria ratione: potest cum certitudine scire Deum esse dominum suum moralem neque felicem posse esse vitam, quae voluntati divinae contradicit, — ex his autem veritatibus rationalibus promanat desiderium Dei sicut et promptitudo acceptandi omnia, quaecumque Deus forsitan adhuc (praeter veritates rationales et legem moralem) communicaturus et ordinaturus esset. Hac promptitudine talis homo virtualiter supernaturali modo religiosus est etiam respectu totalitatis normae revelatae, i. e. respectu credendi veritatibus revelatis. Attamen contentum cognoscitivum suae religionis est »naturale« (= cognitiones ratione comparatae) et sic hanc partem componentem religionem naturalem vocabimus. Ipsa potest qua pars individua religionis separatim historice appa-

rere, sicut historice notae sunt etiam falsae opiniones religiosae.

Nunc iterum ad contextum dissertationis K. redeamus. In p. 208 dicitur positiva revelatione seu manifestatione stabilitam esse supernaturalem communionem (Gemeinschaft) inter Deum et hominem; id autem significat hanc communionem (respectu habito ex parte Dei) exclusive unam esse seu unice veram et eam esse totalitariam (»norma suprema«). Nonne tamen, fit ulterius quaestio, in historia humani generis exsistebat »etiam communio naturalis« — »praeter (neben) religionem supernaturalem«? »Apodictice (entschieden) ad hanc quaestionem respondendum est ita, quod in realitate existat tantummodo vita religiosa supernaturalis . . .« (hic linea subductum). Scriptor accusat scientiam religionis de magna confusione introducta eo, quod ipsa de historica forma naturalium et spiritualium religionum necnon de non christianis religionibus naturalibus loquatur. Interea nobis non dicit, quo sensu ista dicantur et nostram superiorem expositionem de religione nullum habere nexum cum hac »confusione«. Scriptor quidem respicit et ad »intellectuales rationes pro religione naturali« (209): homo supernaturaliter religiosus est tantummodo tunc, cum cognoscit revelationem; existit lex naturalis ergo et religiositas naturalis; gratia praesupponit ordinem naturalem et inculpabilis carentia gratiae non reddit impossibilem religiositatem fundamento hujus ordinis; peccator potest etiam absque gratia (etiamsi solum quaedam) naturaliter bona opera exsequi, etc. Religio naturalis deismi rationalistici, quam scriptor commemorat, hic pro nobis nullius est ponderis; agitur de affirmationibus solius scriptoris. »Religio naturalis denotat statui naturae purae correspondentem personalem relationem mutuam inter hominem et Deum. Contra, sub supernaturali religione intelligitur in primaevo paradisiaco statu justitiae originalis fundata communio hominis cum Deo« (ib.). Sic ex ipsa definitione religio naturalis fit utique omnino incompatibilis cum supernaturali, — quaestio tamen est, num justum sit religionem naturalem cum statu naturae purae connectere, seu num in statu justitiae excludatur possibilitas religionis naturalis, utique sensu recto acceptae. Nemo affirmat (secundum suggestionem scriptoris) illud quod in statu naturae lapsae assequi potest, significare »simpliciter naturale«.

ac si hic status exaequatus esset cum statu naturae purae. De eo, quod revera in favorem religionis naturalis affirmatur quodque scriptor ipse superius adduxerat qua rationes intellectuales, proh dolor, in textu nulla explanatio critica reperitur. Propterea saltem obscurum remanet, cur scriptor proponat religionem »naturalem« vocandam »falsam« (falsche) — licet »possit quaedam concreta forma religiosa concordare cum religione objectiva«. Scriptor respicit quidem unam rationem: ipse tenet »inconstantiam et inexactitudinem« in conceptu religionis naturalis provenire inde, quod »nimis parum clarum sit principium divisionis, secundum quod religio naturalis a supernaturali discernenda est. Solet pro principio divisionis sumi fons cognitionis: una religio vocatur naturalis, cum exclusive rationi ininitur, supernaturalis, cum formaliter ad revelationem provocat. Potest etiam pro principio divisionis sumi ordo realis, in quo nostra habitudo (Haltung) religiosa concrete realisatur«. Fons cognoscitivus, interea, revera est parum clarus secundum formam a scriptore exhibitam, nam 1) optime scimus religionem supernaturalem haudquaquam in eo dumtaxat consistere, quod formaliter ad revelationem provocet, et 2) scimus etiam intellectum non esse »exclusive« normativum pro religione naturali. Non erit ergo, secundum dicta, omnino rectum, si scriptor defensoribus religionis naturalis sub hoc respectu imputet »inconstantiam et inexactitudinem«. Forsan inexactum est praecise illud, de quo scriptor omnino securus est: quod nempe qua principium divisionis »potest etiam« sumi ordo realis, hic vero est supernaturalis. Realitas hujus ordinis (status) omnino extra discussionem est, tamen nos eo non obstante conati sumus justificare componens naturale intra religionem supernaturalem (dum, prout scimus, ordo naturalis et supernaturalis ad invicem excluduntur).

Secundum principium cognoscitivum dicendum esset, ut K. prosequitur, ethnicum in relatione naturaliter religiosa cum Deo esse, nam ipse Deum cognoscit tantummodo fundamento intellectus. »Interea, aspectus ‚desuper‘ ad aliam conducit intellectionem. In concreto historico ordine salutis gratia non coarctatur ad visibilem organisationem . . .« (ib.). Scriptor ergo putat necessum esse commonefacere facti ex manualibus dogmaticis noti, praesupponendo verisimiliter tractatum hunc neglectum fuisse ab illis, qui religionem naturalem defendunt.

Contra talem positionem dicendum est ethnicum respectu non revelatae cognitionis de Deo habere reapse religionem naturalem; ipse est cognoscitive in naturali (rationali) relatione cum Deo, nam veritates de Eo acquisitae sunt via cogitationis — etsi in hac gratia cooperabatur, et eatenus religiositas ethnici supernaturalis est.

Quare philosophicae demonstrationes in favorem religionis naturalis sustineri nequeunt? Scriptor respondet (211) rationem hujus rei esse in facto, quod religio »dependeat a Deo, qua illa instantia, cujus est dandi determinatam responsionem« (als bestimmend antwortender Instanz), haec vero invenitur in revelatione. — Dum paulo antea audivimus supernaturalitatem religionis fundari in ordine supernaturali (statu) atque gratia, nunc tandem dicitur, factum revelationis normativum esse pro religione; et tamen hi conceptus magis praecise distinguendi sunt. Inanimadvertentia in eo est, quod una ex parte intellectus sumitur exclusive relate ad gratiam, ex alia autem parte sumitur revelatio exclusive relate ad intellectum. Eo, quod ethnicus rationaliter (naturaliter) cognoscit Deum, non excluditur gratia, eo vero quod revelatio est normativa pro veritatibus religiosis, non excluditur intellectus qua factor naturalis cognitionis religiosae. Si ita non esset, dicendum foret Deum respectu ad rationem humanam — secundum ordinem existentem salutis — nullam esse instatiam, quae ei corresponderet in quaerenda veritate de Eo. Quicumque ignorat revelationem eo ipso nullam haberet veritatem religiosam. Omnino perperam faciunt, qui hanc consequentiam evitare conantur provocando ad »invisibilem ecclesiam gratiae«, nam gratia et revelatio non sunt idem. Propterea est omnino falsa affirmatio »Deum qua objectum naturalis cognitionis de Deo esse abstractionem nostrae cogitationis« (ib.). Scriptor attentos quidem nos facit, ne id forsitan male intelligeremus atque semet explicat ita, quod »iste Deus in ordine praesente non sit ‚Deus religionis‘, praecise propterea, quod religio positiva ordinatione Dei absque compromisso exclusive in ditionem supernaturae transplantata sit«. Absque compromisso exclusive significat hominem nullimode posse esse religiosum secundum cognitionem rationalem Dei sine fide in veritates revelatas. Hanc affirmationem cogitur logice tenere, quisquis affirmat Deum in cognitione naturali esse abstracti-

onem relate ad religionem; nam absque tali cognitione remanent dumtaxat veritates revelatae de Deo, et si nolimus, ut religio absque ulla veritate maneat, dicendum est fidem in revelationem esse conditionem sine qua non religionis. Si vero compromissum velimus (quod K. rejicit), quod pro religione sufficiat fides virtualis seu promptitudo agnoscendi veritates revelatas, tunc talis promptitudo fundari potest tantummodo in naturali cognitione Dei, quatenus ipse est suprema norma pro nostro intellectu finito. Ex positione, quam scriptor assumit, dicendum quoque foret hominem ratione sua incapacem esse, ut dignoscat moraliter bona opera a malis, i. e. non existere legem moralem qua normam divinam etiam absque revelatione. Homo non posset ullo modo absque revelatione cognoscere differentiam inter bona sub aspectu supremi finis vitae; non posset agnoscere obligationem moralem, qua expressionem voluntatis divinae. Potestne in tali casu adhuc sermo fieri de thesi, quod supernaturale praesupponat naturale?! Non agnoscere possibilitatem religionis secundum naturalem cognitionem Dei (quae, id iterum asseveramus, non est absque supernaturali gratia) significat proclamare religionem dependentem a revelatione et sic logice impossibile fit dicere a revelatione supernaturali praesupponi naturalem cognitionem Dei in religione (i. e. Dei qua objecti venerationis et tendentiae finalis seu operationis moralis). Quamquam ulterius omnino claret statum naturae lapsae non esse idem cum statu naturae purae atque quaedam opera bona, quae homo lapsus conformiter naturae suae exequitur non involvere statum naturae purae, hisce non obstantibus non posset dici etiam adjuvante gratia supernaturali quaedam opera correspondere ordini naturali, si homo absque revelatione incapax esset cognoscere ordinem naturalem. Homo non debet esse destinatus a Deo ad ordinem naturalem, tamen potest eum cognoscere. Ipse ordinatus est ad finem supernaturalem et pro hoc fine accipit et gratias et sic potest facere bona opera, quatenus correspondent cognitioni rationali ordinis moralis. Tamen talia opera impossibilia essent, et esset verum quod bonitas moralis dependeat a revelata cognitione ordinis supernaturalis. In ordine supernaturali versatur et is, qui ipsum ignorat, cognoscit tamen naturalem ordinem moralem, i. e. scit obligationem moralem in distinguendis actibus volitivis et potest scire hanc

obligationem esse a Deo, — quod si id rationaliter non posset scire, deficeret naturalis possibilitas operandi bonum et ita quoque cooperatio gratiae supernaturalis. Nequaquam ergo stat, quod »pro possibilitate religionis naturalis conclusio fiat unilateraliter procedendo ab homine« (212), ac si in considerationem non adduceretur et aspectus ‚desuper‘; contra, nos asseveramus Deum stabilivisse omnibus finem supernaturalem et sic condidisse ordinem supernaturalem dando omnibus suam gratiam ad consequendum finem supernaturalem, attamen ita, ut revelatio hujus ordinis fundetur in naturali revelatione Dei, quatenus homo ratione potest scire non alibi esse finem vitae quam in Deo, quamquam ignorat veritatem revelatam de supernaturali possessione Dei (sicut et alias veritates revelatas), — i. e. potest secundum naturalem cognitionem esse religiosus. Etiam cum homo non est in statu gratiae, scimus valde bene, eum propterea non esse in statu naturae purae, et licet in tali statu a Deo non sit positus potest esse naturaliter religiosus, — quod K. non admittit, cum tantummodo in hoc statu (ontica »constitutione«, Seinsverfassung) fundet religionem naturalem, non perspiciedo, quod homo etiam in statu supernaturali possit esse naturaliter religiosus, quatenus cum supernaturali gratia componatur rationalis cognitio Dei, qua fons volitivae agnitionis in vita religiosa. Nos ergo non dicimus a gratia praesupponi naturam eo sensu, quod homo etiam absque gratia sola natura sua vivat religiose, neque affirmamus gratiam addi vel subtrahi relate ad naturam, sed affirmamus religionem supernaturalem posse secundum componens cognoscitivum esse naturalem, — quod K. non agnoscit, dum affirmat rationaliter cognitum Deum non esse Deum religionis. Hac in re jacet proton pseudos suae definitionis de religione. Consequentia hujusmodi affirmationis etiam in conceptione vitae moralis proditur. Licet naturalis moralis capacitas cum gratia connectatur (quod K. provocando ad Steinbüchel extollit), nimis inde deducitur affirmationes, quod »naturalis moralitas existat dumtaxat in sua supernaturali transformatione« (ib.). Adaequate enim accepta, haec transformatio significaret impossibilitatem vitae moralis secundum normam naturalem, i. e. admitteret possibilitatem bonitatis moralis tantummodo fundamento normae revelatae. Si agnoscimus existentiam normae naturalis, debemus eo ipso

agnoscere possibilitatem naturalis cognoscitivi elementi intra supernaturalem (per gratiam) vitam moralem.

Ex omnibus praedictis deducitur religionem naturalem non esse tantummodo »constructionem cogitativam«, qualem eam in sua conclusione proclamat K. (213). Hisce tamen non vocatur in dubium factum, quod »christianismus sit sensu altissimo religio totalis« (ib.). Immo inintelligibile est vocare eum »sensu altissimo«, — cum secundum K. nihil sit in religione, quod esset minus altum, quam christianismus.

Quod tandem ad *Steinbüchel* attinet, autor eum omnino pro propria thesi sibi arrogat, quod nempe naturalis moralitas nullibi concrete realisata sit (sive apud christianos sive non christianos) propterea, quia Deus omnibus hominibus dat gratiam et sic natura cesserat esse »realitas completa« (volle Wirklichkeit). Ipsa concrete non est per se stans et propterea est »tantummodo quaedam abstractio . . . stat per se theoretice«, sicut K. dicit in quadam sua recensione de *Steinbüchel* (»Bog. Smotra«, 1939, n. 3, p. 220). Haec thesis esset absque dubio omnino recta, si ejus sensus esset, quod natura unita cum gratia, non sit ab ipsa separata seu per se stans (quod quidem identicum est), tamen in thesi aperte extollitur, quod natura unita concrete non cadat in considerationem pro moralitate. Si nempe cadit in considerationem, non est »adhuc tantummodo quaedam abstractio«. Apud hominem non est »animal« et »rationale« realisatum ut aliquid per se stans, et tamen non dicemus utrumque esse »adhuc tantummodo quandam abstractionem«. Ex una parte affirmatur rationalem cognitionem naturaliter moralis normae per gratiam non esse suppressam, legem naturaliter moralem non abrogatam esse, ex altera vero parte dicitur »moralitatem naturalem numquam qua talem realisatam esse, sed unice inclusam in vita gratiae«. Secundum dicta »qua talis« significaret »non unita«, quod quidem absque omni discussione exactum est, tamen quaestio fit: num ipsa qua talis, i. e. quatenus fundatur in natura hominis, sit aliquod componens concretum vitae supernaturalis? Secundum K. istud componens est tantummodo quaedam abstractio — quod nos negamus, quapropter interrogamus: Tenetne revera *Steinbüchel* partes dni *Keilbach*? Responsio invenitur praecipue in 1. semifasciculo »Die phil. Grundlegung d. kath. Sittenlehre«

(1. fasc. ex »Handbuch d. kath. Sittenlehre«, ed. F. Tillmann) p. 11—13, 33/34, 38/39, 70, 81, 84—87 etc.

V. gr. »Existit ergo bonum morale, quod habet suas radices onticas in essentia hominis, in ipsa humanitate. Haec est naturalis moralitas hominis hoc sensu positivo, quod ipse semet pro bono et malo non modo possit determinare, sed etiam realiter se determinat . . . Secundum hoc homo non fit tantummodo per gratiam bonus . . . Tendentia in id, quod homo est, in plenam humanitatem, est naturaliter moralis tendentia . . . Homo secundum naturam tendit ad Deum. Et eo ipso, quod humanitas essentialiter transcendit extra se et omne creatum, facit contactum cum gratia et supernaturali perfectione hominis . . . Supernaturaliter moralis vita accedit sicut quaelibet gratia ad naturam, ad naturaliter moralem vitam . . . Spiritus divinus non est aliquid tale, quod omni ex parte esset a spriritu humano alienum et externum . . . Fundatio moralitatis super humanitate non est subjectivismus neque anthropocentrismus . . . Homo intra supernaturaliter moralem vitam retinet suam naturaliter humanam entitatem et realitat suam naturalem capacitatem cognitionis et liberae adimpletionis moralitatis«.

K. (etiam in sua recensione) provocat ad adversarios, qui pro criterio distinctionis inter naturalem et supernaturalem moralitatem acceptant tantummodo »fontem cognitionis«, atque contra hos statuit thesim: »ubicumque gratia operatur, ibi agitur de supernaturali moralitate«. Id quidem concessuri sumus quatenus agitur de supernaturali subjecto activo (principio agente), tamen negabimus supernaturalitatem ex parte objecti cogniti. Quod philosophus in hoc criterio »unilateraliter insistit«, id hic perperam praesupponitur; sic enim res tantummodo tunc se habet, si philosophus affirmaret characterem naturalem resp. supernaturalem cognitionis esse adaequatum (integrale) criterium distinctionis inter naturalem et supernaturalem moralitatem, quod tamen ipse non facit, sed philosophus affirmat characterem cognitionis inservire qua criterium distinctionis quatenus aliquae veritates obligatoriae constuant moralitatem et tantummodo relate ad has veritates, quatenus sunt naturales, etiam moralitatem operationis humanae eatenus naturalem esse. Cum dicitur hominem non debere cognoscere gratiam, obliviscitur, quod ne de cognitione quidem gratiae agatur, sed de quacumque cognitione revelationis. Nemo ergo provocat »tantummodo« ad principium cognitionis, sed distinguendo gratiam et cognitionem resp. ignorantiam veritatum revelatarum. K. et ipse dicit gratiam »etiam

ibi agere, ubi homo sincere et prompte vocem conscientiae audit« (id autem evidenter est componens naturale!), et ex hoc facto sequentem deducit propositionem: »Etiam si, ergo, possit concrete dari moralitas fundata in naturali rationali cognitione, et id quidem absque cognitione existentiae Dei, tamen propter ‚universalem‘ operationem gratiae divinae non datur in ordine concreto vera (!) moralitas naturalis«. Si istud non est contradictorium cum »sincera et prompta auditione conscientiae«, tunc distinguendum est omnino concrete inter elementum naturale cognoscitivo-volitivum et inter gratiam. In hac concrete fundata distinctione incipit justificatio moralitatis et religionis naturalis intra supernaturalem ordinem gratiae et salutis.

Proton pseudos videtur contineri in confusa conceptione distinctionis inter statum naturae purae et illud, quod constituit naturam humanam qua talem (humanitas), et id bene notandum, secundum ejus individualement personalem structuram, quatenus haec decisivus factor vitae moralis et religiosae est. Et praecise qua talis factor, ipsa constituit componens naturale intra systema supernaturale moralitatis et religionis. Pro illustratione hujus componentis potest nobis inservire ipse Steinbüchel in 2. semifasciculo p. 214 sq. Hic dicitur recogitantam motivationem et cognitionem via dijudicativa non dari absque praetheoretico affectu pro bono et sancto, absque morali decisione pro amplectendis talibus materiis. Provocando ad Pribilla, S. dicit »pro initio fidei in Deum requiritur tendentiam et inquisitionem« sensu vitae, nam »Deus non obviabit obtuso et sceptice monstruoso homini«. Non solum quod in cognitionem influat theoreticum et practicum interesse, sed et »quidam originarius raptus erga aliquid veneratione dignum« (ein originäres Ergriffensein von einem Verehrungswürdigen), confusum praesagium rei sublimissimae, non reflexiva tendentia ad maxime dignum, a discursiva cogitatione independens cognitio de finali destinatione hominis et omnium rerum ad mundum transcendentem, et in hoc adest impulsus (Ansatz) religiosae habitudinis, in qua jam includitur praesagium boni et promptitudo ad bonum«. Homo possidet »speciale religiosum cognoscitivum organum« (Pfänder). Psychologia religiosa cognoscit »psychologicum a priori« (Willwoll — et secundum ipsum Keilbach). Stenbüchel extollit distinctio-

nem ex una parte inter metaphysicum et religioso-philosophicum aspectum et ex altera parte inter eorum objectum, quod consistit in actibus moralis et religiosae experientiae — atque dicit, quod homo nequiret comprehendere propriam suam humanitatem, si ei non obviaret quaestio de nexu necessario cum bono et sancto. Iudicium speculativum metaphysicum de Deo non respicit iudicia, quae quis individualiter vivit et experitur («ichbetonte Erfahrungsurteile», Scholz), quae conscientiam religiosam efformant. Ita hic apud St. in omni alinea stratum naturale moralitatis et religionis suam expressionem obtinet in earum omnino concreta realitate.

Saltem ego puto ita intelligendum esse S., non vero sicut eum citat K. ad confirmandam propriam thesim, quod concrete sermo fieri nequeat de religione naturali. Hac sua thesi K. mihi videtur reprobare proprium librum »Die Problematik der Religionen«, et reprobari etiam a S. ad quem provocat. Id satis citationibus probavimus et in fine possumus adhuc pauca adducere et ultima sectione (4.) hujus magistralis operis. In capite 12. dicitur positione quaestionis religioso-philosophicae hominem satisfacere suis exigentiis naturalibus, nam »philosophia est in natura humana radicata necessitas« (214). Si ita res se habet, tunc evidenter etiam objectum quaestionis religioso-philosophicae est naturale — ipsa religio. Quod ad moralitatem naturalem attinet, S. eam agnoscit in capite 13. (220/221); analysi subjicit conscientiam atque attentos nos facit de ejus functionibus naturalibus (responsabilitas, reitas, poenitentia, spes . . .), quibus homo intrat in relationem personalem cum divino vel sancto (222 sq); ulterius (226/227) analysi subjicit objectum religiositatis naturalis atque ostendit ejus connexionem cum vita morali (231 sq.). Haec vita est »libera realisatio eorum valorum, quorum fundamentum est humanitas et cum ipsa connexa ordinatio« (236). »Aliquem moralem valorem conscie rejicere qua valorem, significaret reprimere naturalem instinctum pro perfectione morali, vim inferre nostrae naturae spirituali« (243, citatus Rast). »Quod homo debeat esse homo, id ipsi manifestatur per illam dumtaxat voluntatem, quae hanc exigentiam ejus essentiae humanae indidit . . . ; finitum, conditionatum esse, quale et est humanum, adhortationes accipit a postulatis (moralibus) . . .« (245). »Moralis et religiosa habitudo (Verhalten) habet communem basim ontologicam in natura humana« (252). Cum sua thesi S. finem libri sui connexit cum initio (I, 1, p. 83 sq.), ubi expresse disserit de »supernaturali et naturali moralitate« (1. Absch., 2 Kap. § 2). Radix ontica moralitatis naturalis est natura humana eo, quod homo (qua animale et spirituale seu specificè humanum ens) possit seipsum determinare ad utramvis partem: ut adimpleat suam essentiam (= humanitas), aut non adimpleat. Praecise propterea (haec est ontica ratio!), quod ab homine dependet, num ejus humanitas sese evolutura et perfectura sit, homo non tantummodo humanus est, sed et obligatus

est, ut talis fiat; id ab ejus voluntate postulatur. Eatenus haec humanitas est bonum naturale hominis, seu ut S. dicit: »haec adimpletio essentiae, istud liberum, independenter innatum fieri hominis« (dieses selbstvollzogene Werden zum Menschen, 85). »Per suam humanitatem, suam humanam naturam, potest homo esse et est moraliter bonus . . . In hisce remanet conservata essentia secundum omnes individuales dotes in homine concreto« (ib.). Moralitas naturalis »potest fieri et realiter est via ad Deum« (86), cum essentia hominis (humanitas) id quod transcendens est, expostulet. — Tandem invenimur coram p. 87, quae in nostra quaestione classica est. In eadem § 2, puncto 2. dicit S sequentia: »naturale, humanum bonum assumptum est intra christianam (ibi sublineatum, m. a.) vitam in vitam gratiae . . . propterea, quia homo inde jam ab initio naturae creatae praedestinatus est ad finem supernaturalem, et (sicut s. Thomas dicit) pro obtinendo hoc fine accedit ad vires naturales benevola gratia, quae eas »fulcit«. Jamvero »quod fulcitur (prosequitur S.), »id conservatur atque idipsum actionem in fulcimento exercere debet« (das bleibt erhalten, und das soll sich betätigen in der Unterstützung«; utrumque in textu subnotatum). Ditionem humanam circumdat operatio, in qua »fines et objecta naturalis et supernaturalis activitas moralis coincidunt« (ib.). Etiam vita quotidiana potest fieri »vi naturali et supernaturali operationis« . . ., immo et illud quod in operatione supernaturale est, tantummodo gratia possibile, assumit in se »omne quod oritur secundum naturalem affectum, volitionem et cognitionem« (ib.). Incipiendo a propositione »Etiam in ambitu vitae supernaturalis« . . . (»Auch auf dem Gebiete des übernatürlichen Lebens« . . .) prosequendo in ulteriore p. 88 ad finem (in 1. editione operis) extollit S. directe contra K., quo modo »naturalis-supernaturalis moralitas in unum pertexta« sit et quidem omnino concrete in omnibus »conditionibus vitae quotidianae«. Puto ergo K. posse provocare ad S. tantummodo ea conditione, ut ex hujus opere haec pagina discerpatur, et ne tunc omnino quidem. Remaneret enim vix aliquid praeter obtegmentum et quidem non modo de secundo, sed et primo semifasciculo. Etenim vel hic, in ipsa »Introductione« dicit S. »doctrinam moralem catholicam non in dubium vocare propria humana potentia bonum vita expertum — naturalem sc. moralitatem« (11). In p. autem 12 designat objectum libri »hominem, qui intra (ibi subnotatum m. a.) supernaturalem moralem vitam, quae ab eo exigitur, servat suam naturaliter humanam essentiam et suam naturalem capacitatem cognitionis necnon liberam adimpletionem moralis realisat (betätigt)«. Et ulterius dicit hominem in supernaturali vita »remanere hominem naturalem cum omnibus praesuppositis ontologicis sui esse, quae quae cognitiones et decisiones etiam in vita supernaturali et operatione debent realisari (betätigt sein müssen). Homo ut viator a Deo ad Deum, procedit via sua simul cum gratia, — »tamen ipse ea (via) realiter procedit (ibi subnotatum), qua homo propria libera decisione pro Deo et cognitione sua voluntatis divinae . . . Naturale donum spiritus per cognitionem et libertatem intertextum est cum supernaturali donatione, tamen ipsum est realiter hic« . . . (13). Objectum ethicae est natura hominis, ergo non ejus »plena

realitas (volle Wirklichkeit), sicut fide attingitur« — quad et S. effert (34), statim tamen adnectit — »tamen illud in homine, sine quo fides et gratia in eo esse non possunt, est: ejus humanitas«. Utrumque unitur propterea, quia supernaturalis vita gratiae »dirigitur ad essentialiter naturale esse hominis ejusque operationem« (26); et id iterum propterea, quia »in plena realitate ‚hominis‘ fundatur obligatio (Sollen) qua lex Creatoris« . . . (34), et secundum hanc legem homo cooperari debet acceptando gratiam supernaturalem (41/42 et passim). Inintelligibile est, quod humanitas qua mera abstractio philosophica censenda sit (pro ethico et philosopho de religione agente) propterea, quia non est separatim realis vel unica, sed unita cum gratia supernaturali. Pro abstractione proclamata, humanitas ne posset quidem esse concretum reale objectum ethicae et philosophiae religiosae ut distinctarum disciplinarum, et sic consequenter omnis phisophica perscrutatio vitae religiosae et moralis desineret esse praeambulum theologiae, i. e. theologia — ut scientia revelationis — esset unica vocata, ut veritates de religione et moralitate ediceret. Et non modo istud, sed secundum conceptionem K. quoque inintelligibile est, quo modo possibile sit, quod fides praesupponat cognitionem naturalem (»Sic enim fides praesupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam et ut perfectio perfectibile«) et quod »ex imperio voluntatis a Deo motae per gratiam« procedat concreta, realis decisio — ita ut natura et supernatura, humanitas et gratia altera ad alteram destinentur (66, 71). Non ergo existeret vel ipsa vita supernaturalis, si humanitas, et quidem in concreta realitate, non esset ejus »praesuppositum« (77, 83). Immo et tunc, cum philosophus fide ductus seipsum in »famulatum« theologiae tradit, i. e. cum contendit rationaliter (lumine naturali) illustrare veritates revelatas et christiano-humanam vitam (imitationem Christi), ipse perspicit naturaliter humanas reales »praesuppositiones« in tali vita. Hae ergo sunt concreto modo conservatae in »plena realitate«.

»Secundum dicta nullum potest esse dubium, quin homo cum Deo colligetur in religione naturali . . .«. Ad haec verba Rosenmölleri adjungendus esset et longus textus, qui pro nostra quaestione valde instructivus est (in »Religionsphilosophie« 2 ed. 164 sq.). Religio naturalis non est vera religio, nam Deus homini destinavit supernaturalem unionem, tamen Deus vult et naturalem nexum — et exinde oritur quaestio de mutua relatione connexionis naturalis cum supernaturali communionem. Extra dubium est, quod homo per naturam suam possit aliquatenus Inconditionatam Personam apprehendere et libere se ad Eam inclinare. Religio naturalis est »necessaria et Dei voluntate ordinata ontica basis (Unterbau) pro unionem supernaturali« (166). Secundum praedicta dicturi sumus »religionem« ibi esse, ubi adest »personalis actualitas hominis explicita directa ad personam transcendentem, quae inconditionatis qualitibus es-

sendi et valoris eminent, etiamsi hae qualitates more simplicium et depravate concipiantur« (ib.). Fundamentum onticum religionis naturalis est inclinatio ad perfectionem personalis naturae in Inconditionato (158). Licet vera religio una sit, i. e. relatio supernaturalis secundum ordinationem divinam, et omnes aliae formae historicae (in quibus homines volebant aliquo modo suam relationem ad Deum determinare) significant pseudo-religiones, tamen etiam in hisce formis potest evolvi vera vita religiosa, quatenus gratia Dei cooperatur (4). Hisce non obstantibus hae »religiones« non efficiunt unam veram religionem. Falsum esset, si expressione »religio generatim« quis vellet designare conceptum genericum, cui specificè subderentur omnes religiones ut aequivalentes; tamen cum vera religione possunt in unum conceptum deduci aliae religiones eatenus, quatenus habent quaedam essentialia elementa communia, i. e. »quamdam cognitionem transcendentis, personalis Dei et aliquam persuasionem (agnitionem, professionem, Bekenntnis) de Eo« (6). Haec »persuasio« non quidem mensura est pro vera religione, attamen ipsa fundatur in ontica tendentia naturae humanae ad Deum — et eatenus ad philosophiam religionis pertinet; hujus scopus est detegere »connexiones metaphysicas hominis« (Bindungen, 9) et sic efficit campum anthropologiae philosophicae. Eruere ex natura humana personalem actualitatem conscientiae valorum (speciatim ethicorum) pro scopo habet et philosophia religiosa Rosenmölleri, quae ostendit quomodo conscientia de »valoribus in se« includat naturalem tendentiam ad inconditionatam (absolutam) personam. Philosophia ergo investigat in natura humana reale fundamentum religionis.

Sicut inter naturalem et supernaturalem ordinem moralitatis non adest sensu stricto oppositio, sic idem valet et pro religione. Totus ordo valorum personalitatis humanae, absque demptione et diminutione, intrat per gratiam in communionem cum Deo . . . nam ordo supernaturalis gratiae praesupponit valorem personalitatis ethicae et ei tribuit perfectionem (*Schuster*, *Der unbedingte Wert des Sittlichen*, Innsbruck 1929, p. 105). Non est dubium, quin supernaturalis perfectio, ad quam omnes homines vocati sunt per gratiam ipsis datam, sit omnino aliquid aliud, quam perfectio, quae exigitur et cujus capaces sumus per nostram naturam spiritualem (=Persönlichkeit); secundum praescriptum Christi debemus omnino aliter

fieri similes Deo, quam id exigit naturalis lex moralis. Tamen ista lex habet suum inconditatum valorem etiam intra ordinem gratiae, nam fundatur in immenso (infinito) bono in Deo, et quia refertur ad opera, quibus perficitur nostra natura spiritualis ut imago Dei. Pro ordine naturaliter morali praebet philosophia religionis justificationem metaphysicam; tamen in inconditato caractere obligationis homo vitaliter experitur etiam spontanee suam relationem religiosam erga bonum infinitum, conscientia vero reitatis ad religiosam sanctionem eum dirigit. Quapropter actualitas spiritualis naturae nostrae est reale componens in supernaturali realisatione unionis cum Deo. Haec unio est supernaturalis finis, quo naturalis ordo finalis non annihilatur, sicut nec ipsa natura, quae semper libere tendit ad sibi proportionatum bonum. Eatenus licet distinguere duas vitas (cfr. S. Th. I, 23, 1. — *Hans Meyer*, Thomas v. Aquin, 1938, 567). Uterque nempe finis, naturalis et supernaturalis, tam arcte junguntur (dicit *Steinbüchel*, *Der Zweckgedanke* in d. Phil. des Th. v. Aq. 1912, 119), ut »organicam constructionem finium efficiant . . . Fine supernaturali non fit inutilis finis naturalis, sed omnino conservatur . . . Tantummodo tunc, cum fines naturales conservantur et naturae congrua operatio, fit recta et moraliter bona tendentia ad summum finem. Non solum ergo, quod supremo fine non removeantur fines proximiores, immo per ipsum eorum conservatio et cura fit obligatoria . . . Naturalia, ethica et culturalia bona sicut et fines vitae non modo non debent negligi, sed de iis magna cura gerenda est praecise ratione ultimi supernaturalis finis . . . Cura de naturalibus dotibus (Anlagen) est necessaria praesuppositio pro operatione supernaturalis gratiae. Ipsa non destruit naturale sed istud conducit ad perfectionem . . . Ipsa perficit non modo intellectum, sed etiam elevat energiam voluntatis ad dominationem super instinctus sensitivos. Gratia ergo semper praesupponit perfectionem naturalem« (120, cfr. 83 sq., 113).

Brevissime dicendo (cum *Steffes*): religio est communicatio et deditio superterreno divino mundo; ejus celsitudo excitat in nobis sensum totalis impotentiae et simul conscientiam infiniti valoris. »Secundum hoc omnia illa phaenomena vocabimus religiosa, in quibus hae notae quocumque modo manifestantur . . . Religio revelata est suprema forma religionis, quae omnes alias

formas superavit, quatenus earum vera elementa expurgato atque profundiore modo continentur in suo salvifico organismo» (*Spieler*, Lexikon d. Pädag. d. Gegenwart, II, 702). Pro justificatione harum concise dictarum affirmationum opus esset dare explicationem de naturali morali lege (cfr. *F. Wagner*, Das natürl. Sittengesetz, 1911). Religio sensu strictiore et latiore efficit objectum legis naturalis. Priore sensu comprehendit prima tria mandata decalogi (fidelitatem Deo, venerationem et cultum); posteriore includitur in omnibus caeteris mandatis qua amor erga Deum (ut supremum finem perfectionis naturalis). Homini est »ex instinctu naturali« (dicit s. Thomas) synderesis, i. e. 1) cognitio boni et analytice cum eo connexum praedicatum obligationis (»est faciendum«), et 2) inclinatio ad realisationem boni, quo natura rationalis perficitur — in supremo bono, Deo. Haec perfectio qua finis naturalis hominis est mensurata necessitate et capacitate ipsius naturae, pro distinctione a supernaturali fine, qui homini destinatus est communicatione naturae divinae. Hic finis, certe, non potest attingi (realisari) virtutibus naturalibus (secundum legem naturalem), attamen hisce non est dictum, per ordinem supernaturalem hujusmodi realisationis demptum esse valorem legis naturalis. In homine nempe non obstante ordine supernaturali existit et inclinatio agnoscendi ordinem rationalem, qui procedit ex generali structura hominis, quatenus cum omnibus aliis creaturis communem habet tendentiam ad conservationem sui et cum animalibus tendentiam ad sensitivam organicam evolutionem, dum specifica ei est tendentia fovendi rationem et per eam dirigendi suam sensitivam naturam. Vix vero ratio practica eousque evoluta est, ut dignoscat bonitatem, fit actualis in eo etiam lex naturalis (synderesis), et aliqua ejus mandata potest et ex propria capacitate adimplere. In dijudicatione singillatim sumpta actionum suarum incidit homo (propter diversas rationes) in errores, et sic applicatio legis naturalis fit defectiva — etiam, cum in quaestione est vita religiosa. Hocce modo homo pervenit ad adulterationem religionis, attamen religio naturalis in his remanet vera religio, quatenus ipsā exprimitur lex naturalis, quae supernaturali legē gratiae perficitur.